

imo omnino pessumdaretur, quis enim sacerdotio fungeretur, si nullum inde vitæ subsidium, vel emolumentum speraret? Unde concludit Origenes, auctor antiquissimus, ho. XI. in Num. « Indignum, indecens, impium existimo, ut is qui Deum colit, et ingreditur ecclesiam Dei, quia scit sacerdotes et ministros assistere altari, et aut verbo Dei, aut ministerio servire Ecclesiae, de fructibus terræ, quos dat Deus solem suum producendo et pluvias ministrando, non offert primitias sacerdotibus. »

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. A Christo disce : 1. Cautè loqui. 2. Non extolli de bonis, nec desperare de malis operibus. 3. Primos sæpe fieri ultimos et contra. — II. A Publicano disce : 1. Humilitatem. 2. Verecundiam. 3. Pœnitentiam. 4. Actum contritionis. — III. A Pharisæo disce : 1. Pro beneficiis Deo gratias agere. 2. Jejunare. 3. Dare decimas. 4. Fugere inanem gloriam. 5. Superbiam removere ab oratione. 6. Timendum esse qui prorsus carent bonis operibus.

THEMA.

Publicanus a longe stans, volebat nec oculos ad cælum levare. Lucæ XVIII.

Qui reperire aliquid vult, auditores, non ad cælum oculos levare, sed ad terram declinare debet. Pharisæus ad cælum elevavit oculos, et ideo nihil reperit. Contra multum invenit Publicanus, oculos ad terram dejiciens. Et nos ergo simili modo multum invenire possumus, si humili et demisso animo scrutemur evangelium. Sic enim ait David, Psal. CXVIII. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Nonne qui spicas in agris colligunt, plus lucrantur dejectis ad terram oculis, quam ad cælum elevatis? Illa enim ratione spicas reperiunt, et panem sibi comparant : hac autem esuriente stomacho domum vacui redibunt. Et nos ergo cum pauperibus, oculis demissis colligamus spicas ex agro hodierni evangelii. Nunc paremus nobis cibum, ut ibi elevare caput, et plenis manipulis redire ad domum æternitatis possimus.

Tres invenio quasi agros in hodierno evangelio, ex quibus optimas spicas possumus colligere, agrum Christi, agrum Publicani, agrum Pharisæi.

I. In agro Christi colligimus primo, hanc spicam : caute loqui, ne quem infamemus. Sic enim ipse Dominus parabolam hodiernam non-

nihil corrodentem dixit non ad certos homines sed ad quosdam, inquit S. Lucas, ne videlicet quemquam infamia notaret. « Hinc est quod in evangelio, inquit Salmeron, super hanc parabolam, neminem ex Pharisæis malis legamus proprio nomine a Christo notatum ; bene autem interdum bonos, ut Nicodemum, Simonem, Pharisæum, in cujus ædibus peccatrix remissionem peccatorum accepit, Simonem leprosum, et alios si qui fuerunt. » Hanc ob causam scripsit in terra peccata Pharisæorum, ita ut quivis sua tantum legere posset, non aliena, Joan. VIII. ut docet Lyranus. Hinc enim omnes discesserunt. Si aliena peccata legere potuissent, curiose perscrutissent legendo. Interim tamen digito sectam Pharisæorum notavit, dum superbum Pharisæum in scenam produxit, ne cæci illi ignorarent se in genere saltem tangi.

Quamquam et hoc insinuat ea vox ad quosdam, quod peccatores Deo noti non sint, quomodo noti ei sunt justi.

Secunda spica, non extolli de bonis, nec desperare de malis operibus. Reprehendit enim Pharisæum, et laudat Publicanum Dominus. Illum reprehendit, quia is jactavit opera sua, quasi Dei misericordia non egeret : hunc vero commendavit, quod is carens operibus, humilitatem et contritionem habuerit, ut ita nemo extollatur ob bona opera sua : nemo desperet ob peccata sua, sed cum Publicano ad pœnitentiam confugiat. Quam facile perdidit Pharisæus thesaurum bonorum operum? Et quam facile acquisivit Publicanus thesaurum regni cœlestis?

Tertia spica, primos sæpe fieri ultimos, et ultimos primos ; eos, qui se exaltant humiliari, et eos, qui se humiliant, exaltari. Certe Pharisæus inter homines præcessit Publicanum, et multis quidem parasangis, unde is ad altare, hic vero a longe stetit : sed in Dei judicio præcessit Publicanus. Unde initio parabolæ Pharisæus primo loco ponitur, Publicanus vero secundo. At circa finem evangelii ordinem inversum reperio. Ait enim Dominus : *Descendit hic*, id est, Publicanus *justificatus ab illo*, id est, Pharisæo. Ergo Pharisæus, qui initio præcessit, sequitur ad finem, Publicanus contra initio posterior, ad finem evadit prior. Sic nimirum fiunt novissimi primi, et primi novissimi.

Bonus initio fuit Pharisæus, cum bona opera fecit, sed quando ea per superbiam collutulavit, malus effectus est. Vicissim malus initio fuit Publicanus, cum mala patravit, sed quando ea per pœnitentiam et humilitatem delevit, bonus tandem evasit. Recte ergo Optatus Milevit. I. II. adversus Donatistas ait : *Meliora sunt peccata*

cum humilitate, quam innocentia cum superbia. Nemo igitur alterum contemnat ; nescimus enim, quis in illo die præcessurus, quis secuturus sit.

II. In agro Publicani reperimus spicam humilitatis, quia stabat a longe, quasi indignum se reputaret, qui staret prope altare. Stabat, cessando a peccatis juxta id Isaia, I. *Quiescite agere perverse.* Bene ergo in diebus dominicis stamus, tum ut a peccatis cessemus, magis quam aliis temporibus, tum ob memoriam dominicæ resurrectionis. Stabat a longe, quia agnoscebat se abiisse in regionem longinquam, quando per peccatum a Deo recessit. Item quia vidit sua opera longe abesse a consequendo regno cœlorum ; quomodo in persona Christi dixit David, Ps. XXI. *Longè a salute mea verba delictorum meorum*, id est, peccata mundi, quæ in me suscepti, non sinunt me salutem et vitam meam tueri, quia mori debeo propter illa. Denique, ex humilitate in ultimo convivii loco considerare voluit, velut omnium postremus, aut leprosus.

Secundo, spicam verecundiæ, quia volebat nec oculos ad cælum levare, agnoscebat enim se coram Deo adulterum, qui oculos ejus timeret : uti solet adultera deprehensa coram viro pudeferi, et oculos in terram abjicere. Agnoscebat se per peccatum avertisse a Deo faciem, unde indignum esse, qui nunc videat Deum : quemadmodum Absalon ob peccatum suum a patris conspectu exclusus fuit, II. Reg. XIV. Agnoscebat quanta bona in cœlo perdidisset, unde oculos ad cœli bona attollere non audebat : quomodo is, qui opulentum prædium ludo perdidit, non audet id amplius intueri præ dolore. Agnoscebat se peccasse in familiam cœlestem, quam proinde aspicere timebat.

Tertio, spicam pœnitentiæ, quia percutiebat pectus suam, et per hoc peccatorem se fatebatur. Volebat eo gestu scindere cor suum, et conterere velut frontem peccatorum, omnibus plagis dignum. Non accusabat dæmonem, non fortunam, non societatem, non astra, sed cor suum tantum, unde id punivit. Volebat tundere cor, ut ex eo velut olla extunderet cogitationes malas, desideria prava, affectus inordinatos, dæmones quoque ipsos. Volebat hac tunsione excitare se a somno. Volebat se disponere ad perfectam pœnitentiam, quia, ut notat Hugo de S. Victore in Lucam, in percussione est cor percussum, id est, contritio, et sonus, id est, confessio, et dolor, id est, satisfactio. Addit expressam vocem : *Deus, esto mihi propitius peccatori.* *Quinque verba*, quæ fortasse desideravit apostolus, in Ecclesia sensu suo loqui, (ut videlicet intelligeretur) *potius quam decem millia lingua pere-*

grina, I. Cor. XIV. Sensu suo et intelligenter loquitur coram Deo, qui se reum agit et accusat : peregrina lingua loquitur, qui alia blaterat orando, nec intrat in cor suum, peccata sua non agnoscit. Nulla præterit merita hæc oratio, nullas affert excusationes peccatorum, sed peccata sibi imputat, et misericordiam tantum implorat. Perfecta est igitur hæc oratio, quia a Christo excogitata.

Denique, insignem spicam hic reperimus, actum, inquam, contritionis quotidie a nobis eliciendum, quem ea voce expressit Publicanus : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* His enim verbis indicat dolere se de peccatis ex motivo supernaturali : proponit etiam implicite fugam peccatorum et mandatorum observationem : spem denique in Deo ponit, et deprecatur veniam. Hæc autem tria sunt, quæ constituunt actum contritionis. Qui actus ita elicitus tam est potens, ut vel solus, antequam fiat confessio, sufficiat ad veniam peccatorum obtinendam et gratiam ; ideoque quoniam non datur quotidie confiteri, saluberrimo consilio eliciendus est quotidie præsertim mane et vespere, priusquam eamus cubitum. Hoc vero, quæ persuadent, plures causæ sunt.

Primo, postulat id æquitas. Æquum enim est, ut a timore Domini diem incipiamus et noctem, juxta id Ps. CX. *Initium sapientiæ timor Domini*, q. d. hi vere sapere incipiunt, qui Deum timent, eoque timore moti abstinent a peccatis. Ex filiali timore consueverunt filii nobilium parentum de mane surgentes mox ad patrem ire, eum salutare, et manum ejus osculari ; similiter antequam eant cubitum, illi valedicere : idem ergo nobis et multo magis faciendum cum Deo ; filii enim Dei sumus. Deinde, moveat saltem timor servilis. Quis enim audeat vel per unum diem aut noctem vivere in peccato?

Secundo, postulat pœnitentiæ et contritionis necessitas. Ea enim prodromus est omnium bonorum operum, et nisi ea præcesserit (ubi peccatum aliquando admissum est) ipsa non sequuntur. Unde sæpe aliqui decipiuntur, qui confidunt in certis bonis operibus, quibus sunt addicti, quasi eorum salus in illis præcise consistat, interim peccata sua non delent, nec vitam emendant : adeoque a salute deviant, quia : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis*, ait Dominus, Luc. XIII.

Succurrit ergo hic sola et unica pœnitentia, quæ peccata delet, et gratiam in animam introducit, solaque sufficit, quando alia opera bona patrari nequeunt. Sic testatur Ezech. XVIII. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,*

etc. omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius : rursus David ait : *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei. Patet exemplo ejusdem, qui cum dixit : Peccavi, mox audivit : Dominus quoque transtulit peccatum tuum, II. Reg. XII.*

Tertio, periculum repentinæ mortis; a qua nec per momentum securi sumus. Crebra sunt exempla eorum, qui repente extinguuntur, et observantur ante oculos nostros. Quando ergo mors tam insperato rapuit alios, quid si rapiat et nos? Ac licet aliquam vitæ morulam concedat, quis tamen non videt, quam difficile sit eo tempore, cum sensus deficiunt, et dolores mortis adsunt, contritionem elicere : maxime si non sis assuetus? An nescimus Davidem pugnaturum contra Goliath, arma Saulis gestare non potuisse, quia non habuit usum? Eadem ratio de contritione, quæ unica est armatura ituro ad mortem contra dæmonem. « Testis ego possum esse, inquit cardinalis Bellarm. de arte moriendi, l. II. cap. VI. hujus difficultatis, quam ægroti ut plurimum patiuntur. Nam cum aliquando inviserem amicum, virum divitem et nobilem, qui ex peccato quodam gravi perpetrato in morbum lethalem inciderat, atque ei dicerem, nihil ei salutaris in eo temporis articulo esse posse, quam veram peccatorum suorum pœnitentiam et contritionem, quia Deus cor contritum et humiliatum nunquam despiciat, respondit ille : Et quid est contritio? Non capio, quid a me requiras. Subjeci ego : Hoc requiro, ut ex vero corde displiceat tibi, quod in Deum peccaveris, et omnino statuas, si diutius vixeris, nunquam amplius Deum offendere, idque totum procedat ex vero amore Dei, qui tibi innumerabilia beneficia præstitit, cui tu ingrattissimus pro beneficiis, injurias reddidisti. Respondit ille : Non intelligo, non sum capax rerum istarum. Ita obiit, signa damnationis suæ satis aperta nobis relinquens. » Hæc Bellarm.

Quarto, periculum invaliditatis confessionum, quas fecimus aut facturi sumus. Sæpe enim defectus est ex parte confitentis, qui sine attritione etiam aut proposito emendationis confitetur. Ad hæc ex probata sententia tenetur homo in articulo mortis elicere contritionem, tum quia non est de fide, sufficere attritionem confitendi (licet sic recepta sententia) tum quia quandoque intervenire defectus, ex parte ministri potest, qui invalidet sacramentum. Tene igitur certum et dimitte incertum, in re præsertim summi momenti, qualis est ista.

Quinto, ratio proficiendi in virtutibus, quæ

consistit in hoc exercitio, cum scilicet quotidie renovamus et accendimus in nobis amorem Dei, peccata detestamur, emendationem promittimus, peccata punimus, ad spem misericordiæ Dei nos erigimus : hinc enim non modo ad vitanda peccata sed etiam ad virtutes addiscendas et exercendas habiliores evadimus.

Sexto, periculum, quod imminet nobis, vindictæ divinæ, si tam diu in peccatis persistamus et peccandi affectibus. Quis enim tolerat, ut inimicus suus semper armatus incedat et gladium gerat ad se jugulandum? Nonne vel ad magistratum eum defert et pœnam ab eo exigi postulat, vel ipsi insidiatur ut eum prior jugulet, ne juguletur? Audi quid dixerit Deus Salomoni postquam is secutus est deos alienos et factus est amator mulierum insanus, diuque talis permansit : *Quia habuisti hoc apud te, inquit, et non custodisti pactum meum et præcepta mea quæ mandavit tibi, dirumpens scindam regnum tuum et dabo illud servo tuo, III. Reg. X. Idem minatur omnibus peccatoribus quia gladium contra ipsos gerunt; minatur inquam gladium suum, Ps. VII. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, etc.*

Contra si mox et quotidie deposuerimus nostrum gladium et contriverimus cum detestatione temeritatis nostræ, deponet etiam Deus gladium suum, uti fecit cum Ninivitis, cum Achab, et Davide. Cucurrerunt ad pœnitentiam Ninivite, incessit demisso capite Achab, David dixit : *Peccavi Domino; et confestim reddidit Deus gladium suum vaginæ.*

III. Pergamus ad agrum Pharisæi. Sed quid hic spicarum seu documentum colligemus, cum non nisi spinas et vepres habeat? Hic enim videtur esse ager stulti, quem Sapiens ait, totum urticis repletum esse, Prov. XXIV. Verum non caret spicis etiam hic ager, suis enim erroribus docet sapere nos Pharisæus; et quemadmodum is qui fossam transulturus, incidit in fossam, docet cautius saltare socios : ita docet nos Pharisæus melius orare, quam orarit ipse.

Primo, docet nos pro acceptis beneficiis, et quod non simus sicut multi peccatores, Deo gratias agere; non quomodo ipse egit, ut nos ipsos commendemus, et quæ sunt Dei, nobis adscribamus; nec ut proximos nostros vituperemus; sed potius ut Deo adscribamus fontem bonorum omnium, quidquid boni habemus; nobis autem nihil nisi peccata nostra; et quod ad proximum attinet, ut certa bona ejus, meliora; certa mala, minora; dubia bona, certa; dubia mala, falsa judicemus. Secus autem in nobis, ubi contrario modo nos æstimare debemus, quia inter sanctos nos postremos : et inter peccato-

res, reputare nos debemus primos. Porro ad gratias Deo agendas excitare nos imprimis debet; quod propterea instituit Christus eucharistiam, quæ significat gratiarum actionem : secundo, quia majora recepimus beneficia quam ulla alia natio : tertio, quia ad hanc quotidie excitat nos Ecclesia in missa dicendo : *Gratias agamus Domino Deo nostro* : quarto, quia facillimum opus est : quinto, quia magnæ utilitatis; facit enim nos in virtute crescere et impetrat nobis nova alia beneficia. Hinc S. Augustin, in Ps. CXXXII. ait communem religiosorum sui ævi morem fuisse, ut sibi occurrentes dicerent : *Deo gratias*; ideoque a circumcellionibus per scomma vocatos fuisse *Deo gratias*.

Secundo, docet nos jejunare. Jejunavit enim bis in sabbato, id est, diebus duobus in hebdomade. Quis hic non pudeat? Quam ægre jejunant multi statis ab Ecclesia diebus? Quam multi in anno nunquam? At nonne mandavit Dominus ut justitia nostra abundet plus quam Scribarum et Pharisæorum? Jejunemus ergo et nos bis in septimana; feria sexta scilicet et sabbato, abstinendo saltem a carnibus.

S. Chrysostomus, in cap. VI. Matth. ait : *Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite, ita nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione.* Viderunt hoc et gentiles; nam et Ninivite jejunarunt, Jon. III. et ii qui cum apostolo in navi erant, Actor. XXVII. ad placandum Deum.

Tertio, docet dare decimas; siquidem eas dedit : nec de frugibus tantum, sed de omnibus quæ possedit, adeo ut de mentha, anetho et cymino eas persolverent Pharisæi, teste Domino, Matth. XXIII. Cæterum vocem *do* reprehendit S. Gregorius cum ait : *Gratuitum putas, quod proximo impendis : velis autem nolis, debitor es.* Non ergo *do*, sed redco, dicere decebat. Sane cum hoc evangelium communiter incidat in tempus messis, videtur hoc ipso Pharisæus et ejus nomine Ecclesia hortari ad præstandas decimas; quomodo nuper Deus in victoria Paragensi admonuit Bohemos, ut redderent Cæsari, quæ sunt Cæsaris; quia eo ipso die, quo evangelium id legitur, obtenta est victoria de Friderico Palatino, qui regnum Cæsaris invaserat.

Id unum est dolendum, quod hæc opera bona miserit Pharisæus in saccum pertusum, et perdidit vana gloria, adeo ut iis ipsis, quibus mereri sibi cælum poterat, mercatus sit infernum.

Quare docet quarto, fugere vanam gloriam; quoniam hæc tinea in ipsis operum ejus vestibus nata exedit omnes vestes : hæc pruina decoxit omnes ejus fruges : hic vermis erodit omnia ejus poma. Cætera vitia singula vastant vir-

tutum opera; superbia vastat omnia. Testudo cum se ad solem exponens exsiccat, fundum amplius petere nequit, unde ab aquilis rapitur, Pier. I. XXVIII. hierogl. Idem venit Pharisæo, cum per vanam gloriam exposuit opera sua ad solem, id est, Dei conspectum.

Quinto, docet in specie superbiam remove ab oratione; siquidem ipsa fuit quæ ejus orationem fœdavit et inutilem reddidit. Debebat ejus oratio cælos penetrare : sed inanis gloriatio eam deprimebat, quomodo in fine mundi antichristus ad cælum per ambitionem ascendere conaturus, inde reprimetur et detrudetur in infernum : *Oratio (tantum) humiliantis se penetrat nubes, ait Ecclesiasticus, c. XXXV.*

Sexto, docet multo magis timendum esse illis, qui bonis operibus omnino destituti et multis malis referti sunt. Si enim bona opera, comite superbia, nihil apud Deum merentur, nisi ignominiam, quid merebuntur mala? Et si superbia cum fuga vitiorum, et virtutum comitatu damnare potuit Pharisæum, quid faciet conjuncta vitiiis? Certe hodie pauci admodum solent gloriari de bonis operibus, sed potius de malis, v. g. vinolentia, ingluvie, fraudibus, dolis, homicidiis. Et quo devenient isti? Nonne ad infernum inferiorem? Ad tenebras exteriores? A quibus nos præservet Deus.

CONCIO X.

MYSTERIA.

- I. Cur ad quosdam anonymos dicta hæc parabola? —
- II. Cur dicuntur ascendisse in templum? —
- III. Qua in re peccavit oratio Pharisæi? —
- IV. Licetne bona sua merita recensere? —
- V. Cur Publicanus a longe stetit? —
- VI. Cur noluit ad cælum oculos levare? —
- VII. Cur percussit pectus suum? —
- VIII. Cur Deus superbos deprimit et exaltat humiles? —
- IX. Quomodo deprimuntur qui se exaltant? —
- X. Quibus exemplis id ostenditur?

THEMA.

Duo homines ascendebant in templum. Lucæ XVIII.

Contraria semper via incedunt Deus et diabolus. Deus ita bonus est, ut e malis etiam bona soleat educere, diabolus ita malus, ut e bonis possit soleatque educere mala. Deus ex angelorum lapsu ansam arripuit creandi homines, qui ruinas illorum in cælo supplerent : diabolus ex hoc bono malum expressit, impellendo homines, in lapsum. Lapsi sunt igitur et homines, inde Deus occasionem cepit mittendi in carnem Filium

num, qui homines erigeret. Sed hinc rursum diabolus cœpit exagitare Judæos, ut Christum neci darent. Occiderunt igitur Filium Dei: nec tamen hic se continuit Dei bonitas, sed ex ipso Filii sui sanguine et morte fecit hominibus pharmacum salutis: diabolus e contra ubicumque potest, redemptionis beneficium vertit nobis in exitium. Videamus hodiernum evangelium; ibi in Publicano cognoscimus opera Dei, in Pharisæo opera diaboli; siquidem Publicanus e peccatis suis dum Dei gratia adjuvante humiliter ea agnoscit, educit sibi justitiam ac salutem: Pharisæus contra ex operibus suis bonis, dum instinctu dæmonis stulte ea jactat, eruit damnationem. Sed jam accingamur ad exponendum evangelium, indeque exsugamus non venenum ex Pharisæo, sed ex Publicano salutiferum animæ pharmacum.

I. Cur ad quosdam, anonymos videlicet, dicta hæc parabola? Resp. primo, ne si aliquos nominasset evangelista, de infamia eos notasset. Eandem ob causam Lazarum illum sanctum suo expressit nomine Lucas: non item epulonem ad inferos damnatum. Docet ergo evangelista, vitia quidem taxanda, sed suppresso peccatorum nomine, si fieri potest, ne quis infameletur.

Secundo, ut ostendat peccatores Deo non esse notos, quia nimirum malitiam et delicta eorum improbat. Hinc dicit illis in iudicio: *Nescio vos unde sitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis*, Luc. XIII. Oves suas agnoscit Dominus, non alienas, quia signaculum ejus non habent. Re-probi in libro vitæ non inveniuntur scripti, ideo nesciuntur. Pavenda res, nesciri a Deo. Nil enim hoc aliud est, quam non curari, non queri; non curari a Deo, nil aliud quam deseri et relinqui sibi, darique in prædam dæmonibus.

II. Cur Pharisæus et Publicanus ascendisse dicuntur in templum? Resp. primo, quia templum Hebræorum erat situm in monte Moria, ubi Abraham immolare voluit filium suum, ut habetur, II. Par. III. et ubi Areuna Jebusæus habuit aream suam, in qua ad placandum Deum extruere altare ad sacrificandum jussus est David II. Reg. XXIV. Unde discimus templum esse locum sacrificii, ubi verus Isaac Christus a Patre suo jam immolatus representatur et offertur in altari: deinde, esse locum ubi placandus Deus est: denique, esse locum visionis Dei; hoc enim sonat *Moria*, unde Gen. XXII. legimus locum illum appellatum: *Dominus videt*. Scire ergo debemus ibi speciali ratione Deum esse præsentem et observare omnes actus nostros.

Secundo, ut sciamus orationem, cujus locus

ordinarius est templum, esse ascensionem mentis in Deum. Qui enim Altissimo per orationem conjungitur, procul dubio a terrenis et supra seipsum elevatur. Hinc etiam oratio comparari solet incenso: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, Psal. CXL. Verum plurimorum oratio tetro potius fumo similis est, quem sursum tendentem ventus iterum deprimit. Hujusmodi erat oratio Pharisæi, quæ ex una parte ad Deum ascendebat, ex altera per superbiam ad ipsum redibat, ut docet S. Basilius, hom. XXII. tom. I. Cum enim preces ejus debuissent ad cælum ascendere, inanis meritorum gloriatio eas deprimebat; quomodo fumus ascendens super tecta, reverberatus a vento adstantes excæcat. Et sicut fumus de camino viventi retrusus in culinam perdit cibos, ita inanis jactatio Pharisæi omnia ejus opera destruxit.

III. Qua in re peccavit oratio Pharisæi? Respond. in duobus potissimum, in sui confidentia et in contemptu proximi: quæ duo vitia notantur in scopo hujus parabolæ, quam ait Lucas dictam: *Ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi et aspernabantur cæteros*. Peccat ergo in primo, dum se justum præsumit et jactat, putans se habere justitiam ex se, indeque elevatur. Ea de causa nihil amplius petit, quasi jam plenus sibi sufficiens sit, non orat ut Deus cætera ejus peccata, quæ oculos ejus fugiebant, ignoscat: non imitatur sanctorum virorum perfectionem, qui aliorum etiam peccata, ex charitate, sua faciebant, quemadmodum Daniel, c. IX. orans: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, imple egimus et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis et iudiciis*: et Tobias, c. III. *Quoniam non obedivimus mandatis tuis, ideo traditi sumus in direptionem et captivitatem et mortem, etc.* Peccavit et in secundo, dum non solum alios homines, sed in specie etiam Publicanum istum sprevit velut peccatorem, quem temere talem reputavit; sed de his supra diximus fusius.

E contra Publicanus seipsum accusavit velut peccatorem, indignum quoque ratus qui oculos ad cælum levaret, deinde alios sibi proposuit; quia retro stetit, quasi indignus foret qui prope alios staret.

IV. Licetne de bonis suis meritis cogitare, eaque enuntiare? Respond. licere perfectis viris, modo ea ut Dei dona agnoscant, ut per ea spem in Deum excitent, et pro iis gratias auctori bonorum omnium agant. Nam ut ait S. Greg. lib. XXII. moral. c. XVI. *In auribus Dei superba non sunt, quæ humili corde proferuntur*. Ita orabat Ezechias rex: *Memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, etc.* Isa. XXXVIII. et IV.

Reg. XX. et S. Paulus, II. Tim. IV. *Bonum certamen certavi, inquit, cursum consummavi, fidem servavi, etc.* S. Job, cap. XXXI. memorat elemosynas et hospitalitatem suam aliaque opera bona: et S. Hilarion moriens: *Egredere anima mea, egredere, quid times? Septuaginta annis servisti Christo et mori times?* Notanda igitur est hic aurea D. Augustini regula in Psal. XCVIII. et CI. « Et si imperfectis, inquit, ostentare thesauros suos non expediat, ne illos amittant, nec recitare bona sua quamdiu in via sunt et adhuc ad interiora se convertere et progressus majores facere debeant ne illis contingat quod gallinis quæ mox ut ova pepererunt, clamore suo dominos excitant, qui ova edita illis auferant; perfectis tamen et magnis viris licitum est non solum bona sua recogitare, sed etiam illa aliis pronuntiare, quando suadet necessitas, gloria Christi, vel ad id urget pia utilitas proximi: modo illa dona Dei agnoscant et per illa humiliantur et sine aliorum contemptu, qui tales non sunt, imo cum magna eorum commiseratione cogitentur. » Idem sanctus, tract. VIII. in I. canon. tom. IX. ita scribit: « Si times peccatores, non habebis imitatores. Nec propterea periculum inest talibus vel adulationis vel inanis gloriæ quia tæda magna accensa, a vento non extinguitur sed potius incenditur: secus parva candela, quæ mox extinguitur. Nec tales in se gloriantur, sed in Domino, juxta illud: Qui gloriatur in Domino gloriatur. Nec tales sunt iudices in propria causa, sed Deus et proximus, cujus gratia et utilitate ad populum seipsos commendant. »

V. Cur Publicanus a longe stetit? Resp. primo, quia aestimavit se indignum qui prope altare stare et Deo appropinquare possit. Ita leprosi illi misericordiam Jesu implorantes, steterunt a longe, Luc. XVII. et centurio, quia gentilis erat, indignum se reputavit qui Dominum suscipere, Matth. VIII. sedit ergo ex humilitate in ultimo convivii loco.

Secundo, quia longe se abesse putavit a venia peccatorum suorum promerenda, adeoque a regno cælorum ob defectum bonorum operum, sicut longe abest ab emenda domo, quæ vaniit tribus millibus talentorum, is qui habet tantum tres drachmas.

Tertio, quia instar filii prodigi agnovit se peccando abiisse in regionem longinquam, et fugisse a Patre suo cœlesti ad inferni villicum.

VI. Cur noluit ad cælum oculos levare? Resp. primo, præ pudore et erubescencia coram Deo offenso, quem aspicere non auderet: sicut peccatrix stabat retro, et sicut adultera deprehensa oculos non audet attollere in virum, præ dolore et confusione.

Secundo, ut ostenderet per peccatum se conspectum Dei et cœlestem gloriam amisisse, quemadmodum et Absalon peccando meruit, ut a conspectu patris arceretur, II. Reg. XIV. Cogitabat ergo amisisse se cœlestia bona, quæ jam præ dolore aspicere non auderet, meruisse vero infernum, quo oculos deflectebat.

Tertio, ut significaret se in familiam cœlestem peccasse; in angelos, quorum inspirationibus restitit; in sanctos, quorum preces et spem fraudavit; in Deum ipsum, cujus mandata contempsit.

VII. Cur percutiebat pectus suum? Resp. primo, quia cor est sedes et mater peccatorum: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, etc.* Ita Publicanus percussit cor suum, ut inde prodirent scelera et dæmonia.

Secundo, ut dormiens cor suum ad penitentiam vitæque emendationem excitaret. Solet enim peccator quasi obdormiscere in peccatis suis. Unde est illud apostoli: *Hora est jam nos de somno surgere*, ad Rom. XIII.

Tertio, ut doceret conterendum esse cor in penitentia, velut dignum plagis. Percussio contritionem, sonus confessionem, dolor ex percussione satisfactionem representat.

VIII. Quamobrem Deus superbos deprimit et humiles exultat? Resp. primo, quia uti radix omnis peccati et mali est superbia: (Ecl. X.) ita radix et fons omnis boni ac virtutis est humilitas; superbia ergo depressionem, humilitas meretur exaltationem. Ita pessimos homines profundissime defossos et lapidum cumulis obrutos legimus uti Achanem et Absalonem: contra optimos in altum evectos, uti Josephum et Mardochæum.

Secundo, humilis summe honorat Deum; meretur ergo a Deo vicissim honorari: superbus summe inhonorat Deum, uti superbus Pharaon, dicens: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus?* Exod. V. meretur ergo deprimi. Hinc Ecl. c. III. dicitur: *Quantum magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur*. Deus est zelotes gloriæ suæ, unde superbos eam amantes, deprimit: humiles eam adorantes exultat ad gratiam et gloriam. Umbra fugit sequentem, sequitur fugientem: ita exaltatio fugit insequentem se, sequitur fugientem.

Tertio, gratia est donum gratuitum, unde danda est iis, qui se viles et indignos reputant, Deoque gratias agunt, quales sunt humiles: non superbi, qui eam sibi suisque meritis attribuunt. Humiles vasa vacua, adeoque gratiæ capacia: superbi vasa impleta et distenta vento arrogan-